

1571
Saxum ab
Antonio
Barberio
Turcis tra-
ditur.

cui Antonius Barberius centurio præpositus erat, sistitur, prece, ac suasionibus Barberium ad deditionem impulit. Eorum, qui in Salona, & Saxo erant, militum pars Spalatum se contulere, alii ab ipsismet facinus averfantibus hostibus laqueo necati, infandi criminis poenas dedere.

Hæ tot tantæque clades cum aliæ super alias Venetias nuntiarentur, vix dici potest, quantus civitatem moeror, quanta perturbatio invaserit. Omnes maritimas Adriatici finis oras infestari; mortales passim in servitutem abripi; urbes, occupari; jam ferme aperto mari neminem se committere audere: ut vererentur plerique, ne usque in Istriam sese proriperet hostis, atque insolenti elatus fastu, barbaraque superbia tumidus, in conspectum se urbis daret: cui etsi nihil timendum esse vel egregio, ac munitissimo situ, vel insistente a tergo nostrorum classe, videretur, cum diutius se sinu Adriatico non absque ingenti periculo contineri Pertaus posset; attamen, ne difficillimis temporibus quidquam prætermitteretur, ad reliquas sollicitudines, muniendorum quoque litorum, quæ civitati objecta sunt, curam Patres adjunxere.

Senatus ur-
bis litora
munire de-
cernit.
Venetarum
paludum
descriptio.

Extremum hunc Adriatici maris recessum tenue litus ambit; a tergo vastæ paludes cum maris æstu, tum fluminum exoneratione confectæ insident, quas a sævientibus maris procellis, seseque attollentibus fluctibus, ex arenæ cumulis aggesto munimento, natura defendit; hominum industria maximis faxorum, vallorumque obicibus tuetur. Paludum vada variis anfractibus canales distinguunt, qui venarum instar per universum corpus diffunduntur. Curvatum hoc litoris dorsum pro muro urbi est; atque ab Athesis ostio usque ad Anaxi amnis fauces pertinet; passuumque millibus triginta in longitudinem protenditur. Quinis in locis intercisum infundenti se pelago sinum pandit: inde tuti in portus receptus, egressusque in altum patent. Ex iis portubus (cum reliqui vel fluminum alluvione, vel maris æstu fere interierint) duo erant aquarum altitudine, & capacitate insignes, qua negotiatores vel ad urbem commearent, vel solventes provincias, regionesque peterent: alter a pervetusto templo in litore sito Divi Nicolai appellatus; alter a propinquo oppido, Venetorum olim Principum sede,

aqua-